

quinimo etiamsi sacerdos existimaret poenitentem non esse sufficienter dispositum, cum re ipsa esset dispositus, valide absolveret, si id intenderet dum apponit formam.

XXIX. Ad secundum casum de justificato accedente postea ad sacramentum poenitentiae, respondetur verificari formam invariato sensu. Absolvit enim sacerdos quantum est ex se, et remittit peccata, etiamsi actu non sint: non enim mentitur, qui offensam, aut debitum dimissum dicit se dimittere iterum, quantum est ex se: et est aliquale exemplum in voto, quo quis se ad aliquid obligavit, quod potest iterum atque iterum repetere, et noviter obligari: sic et in forma hujus sacramenti, quæ quantum est ex se, remittere millies potest idem peccatum postquam est dimissum.

XXX. Objicies contra dicta: Si poenitens nullum commisisset peccatum, vel confiteretur peccatum dubium, quod re ipsa non est, ut existimatum tale, et doleret de illo, verificaretur forma in sensu a nobis explicato, nec tamen efficeretur verum sacramentum: ergo dum quis accedit justificatus per contritionem, aut præcedentem confessionem, non efficitur sacramentum. Uterque enim revera non habet vinculum a quo solvatur: unde neque efficitur sacramentum, et sic non debet forma verificari in sensu intento a S. Thoma: sicuti ad veritatem hujus locutionis: Ego te solvo a vinculis corporeis, non sufficit habere voluntatem solvendi, quantum est ex se, et ex parte desiderantis solvere, si ligatus non esset, sed si re ipsa solutus sit: ergo neque in sacramento sufficit solutio intenta, quantum est ex parte sacerdotis, ut verificentur verba.

XXXI. Confirmatur duplici instantia, in forma extremæ unctionis et matrimonii; nam forma unctionis

verificaretur in sensu assignato, etiam respectu hominis qui nullum unquam commisit peccatum, et in perpetuo amentibus et infantibus. Hæc enim verba: Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti, etc. quantum est ex Deo, et ex me significant intentionem indulgendi, si essent peccata. Constat autem quod si nunquam extiterunt, non efficitur sacramentum. Et in matrimonio posset sacramentum iterari millies inter eosdem conjuges, si supereadem peccata jam remissa quantum ad culpam et poenam potest iterari poenitentia, nam contrahere matrimonium non est aliud quam obligatio et traditio mutua corporum, constat autem posse conjugem iterum atque iterum se obligare, et tradere novo vinculo obligationis ad id ipsum, cui antea erat conjux obligatus: unde fieri potest novus contractus matrimonii, et consequenter novum sacramentum, contractus enim matrimonii inter baptizatos sacramentum est.

XXXII. Respondetur ad argumentum, negando majorem. Esset enim forma prolata a sacerdote propositio affirmativa de subjecto non supponente, propter materiam non supponentem: absolveret enim a vinculo quod nunquam fuit tale. Ut si absolveret poenitentem a sola occisione exteriori animæ rationalis, vel Angeli in se, absolutio non verificaretur, cum non renuntiet juri, quod Deus acquisierit in tali culpa, cum enim peccatum nunquam extiterit, nec etiam verum jus, et sic verba sunt affirmativa de subjecto non supponente defectu materiæ. Idem contingit in solutione a vinculis corporeis, materia enim, et objectum proprium illius locutionis est vinculum corporeum solvendum, quod affirmat propositio: quod cum a parte rei non sit, nec locutio vera erit: nequit enim actum agere. At

in solutione a vinculis spiritualibus animæ, materia removenda et objectum propositionis non est exterior ablatio vinculi, sed actus interior, quo sacerdos nomine Dei cedit juri ex offensa acquisito, quæ si semel præcessit, etiamsi sit remissa, etiam quoad omnem reatum poenæ, potest repetita obligatio supervenire ad non utendum eo jure. Potest enim offensus et creditor iterato se obligare ad non exigendum debitum, quod proprie est cedere juri non exigendi: quod si non sit jus aut vinculum, non verificatur propositio. Sic etiam contingit in reconciliatione hominum, in qua iterum atque iterum potest offensus injuriam remittere, et amplexibus repetitis confirmare amicitiam.

XXXIII. Ad confirmationem respondetur, et quidem ad sacramentum unctionis ex S. Thoma in additionibus quæst. xxii, artic. iv ad primum et secundum, quem sequitur magister Nugno ibi art. ii, definitione ii, quod sacramentum unctionis est poenitentiae confirmativum, ut testatur Tridentinum sess. xiv, ante caput secundum de extrema unctione, et consequenter tantum sunt capaces recipiendi unctionem, qui possunt poenitentiam recipere, et confirmat usus Ecclesiæ communis, quæ non elargitur unctionem eis, quos judicat nunquam peccasse; unde etiam negatur infantibus ante usum rationis, et perpetuo amentibus eadem ratione, etiamsi concedatur cadentibus in amentiam post usum rationis, in quibus sufficienter verificatur forma propter peccata commissa ante amentiam, et congruenter id conceditur, cum unctio sit medicina, quæ applicari non potest nisi post morbum et vulnera. Unde anima quæ nunquam fuit vulnerata, non habet debilitatem ex vulneribus procedentem; unde nec ungi potest oleo sancto a

Christo instituto ad ultimum agonem viriliter peragendum. Sic etiam poenitentiae forma verificari non potest dum non præcesserit peccatum.

XXXIV. Ad instantiam de matrimonio, respondetur concedendo posse conjuges iterata obligatione se mutuo obligare post contractum semel matrimonium, non tamen peragere novum matrimonii sacramentum, quod tunc peragitur, cum vere fit actualis traditio, quæ se conjux tradit, et introducit in actualem conjugis possessionem. Hæc autem introductio incæptionem designat; incæptio autem actualem iterari non potest. Unde nisi dissolvatur matrimonium, quod est impossibile, repeti non potest. Si autem dissolveretur, iterum celebrari posset inter eosdem. Et sic post peractum matrimonium possunt conjuges de novo se obligare novo titulo et vinculo ad adimplendum promissum, non tamen perficiunt novum matrimonii sacramentum ratione tradita; in poenitentia autem potest esse nova cessio juris, et sic novum sacramentum circa eandem materiam.

ARTICULUS IV.

Pro quo supponat sacramentum poenitentiae, et quæ sit illius materia?

I. Supponendum est ex Tridentino sess. xiv, cap. iii, quatuor præcipua reperiri in sacramento poenitentiae, ex quibus integratur ratio sacramenti (scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem ex parte poenitentis, et absolutionem ex parte sacerdotis) ex quibus resultat integrum compositum sacramentale et artificiale causativum gratiæ, in quo duplex compositio, ad nostrum intentum, invenitur, sicuti in quolibet sacramento. Pri-

ma est ex materia seu subjecto significationis et institutionis, et ex ipsa significatione ut ex forma: quam compositionem fatetur S. Thomas hic art. I, dum assumit generalem propositionem, rationem scilicet sacramenti consistere in significatione rei sacræ, et subsumit: «In sacramento poenitentiae actus poenitentis, et absolutio sacerdotis significant aliquid sanctum.»

II. Ex quo constat hanc compositionem fieri ex actibus poenitentis et absolutione sacerdotis tamquam ex materia, et ex significatione proveniente ex Christi instituto tamquam ex forma: nam contritio, confessio et satisfactio poenitentis, simul et absolutio sacerdotis instituitur et assumitur tamquam unicum iumentum adæquate significativum gratiæ sanantis. Secunda compositio reperitur in ipsa materia et subjecto significationis; componitur enim compositione alterius concreti ex materia et forma, ex actibus scilicet poenitentis tamquam ex materia determinabili et contrahibili, et ex absolutione sacerdotis tamquam ex forma, utpote determinante et contrahente actus poenitentis.

III. In hoc ergo sacramento, sicuti in reliquis, assignari potest, et debet, quid ex his sit sacramentum tantum, quid res tantum, quid et res et sacramentum: quod breviter tradit S. Thomas hic articulo primo, docetque materiam remotam esse peccata, quæ non ingrediuntur compositionem sacramenti; materiam vero proximam esse actus poenitentis; formam vero sacramenti esse absolutionem sacerdotis; et compositum ex his, tamquam ex materia et forma, esse sacramentum tantum, id est, quod taliter significat gratiam, quod nullo modo significatur. Deinde rem tantum hujus sacramenti, docet esse gratiam sa-

nativam et justificativam, quia taliter significatur gratia, quod nihil significat: rem vero et sacramentum simul docet esse contritionem, de quo nos articulo sequenti. Hæc tamen modo accipimus ostendenda in hoc articulo. Hic ergo difficultas præcipua ad tria capita reduci potest. Prima, an omnia enumerata, quæ integrant sacramentum, concurrant ad constituendum illud tamquam essentialiter pertinentia ad ejus substantiam, ex quo constabit pro quo supponat directe et in recto hoc sacramentum: secunda, quæ sit materia remota, an scilicet peccata, an universa, et quæ: tertia, quæ sit materia proxima, nam de forma satis constat esse absolutionem sacerdotis, ut ostendimus articulo præcedenti.

AN ABSOLUTIO ET CONFESSIO SINT TOTUM SACRAMENTUM, ET SUPPONAT PRO ILLIS.

IV. Circa primum, Scotus distinct. XVI, quæstione ait prima solam absolutionem sacerdotis esse adæquatam et integram essentiam hujus sacramenti, non quia existimet actus poenitentis nullatenus requiri ad hoc sacramentum, ut errarunt Calvinus et Melanchthon, teste Decano, articulo XI, pagina 20. Excludit tamen illos Scotus a ratione partis essentialis sacramenti, et si non a ratione dispositionis. Durandus in IV, dist. XIV, quæst. III, et distinct. XVI, quæst. I, censet solam confessionem et satisfactionem componere essentiam sacramenti. Alii aiunt integram essentiam esse actus poenitentis, non vero absolutionem. Hæc sententia tribuitur Soto in IV, dist. XIV, quæst. I, cujus mens aperietur in calce hujus difficultatis. Alii affirmant confessionem et satisfactionem esse partes poenitentiae, et nihil amplius.

Ita Gabriel in IV, dist. XIV, quæst. II, art. I, et Antisiodorensis relatus a Carthusiano distinct. XIV, quæstione prima. Sed omnes isti auctores in eo conveniunt, quod substractum significationis hujus sacramenti non componitur ex materia et forma, quas cum Concilio et S. Thoma assignavimus.

V. Et contra omnes dicendum est, sacramentum poenitentiae essentialiter constare ex actibus poenitentis tamquam ex materia, et ex absolutione sacerdotis tamquam ex forma. Ita communiter doctores hic cum S. Thoma articulo primo, expresseque habetur in Tridentino in initio articuli citato. Ratioque est, nam hoc sacramentum est quoddam compositum artificiale et morale: ergo essentialiter constat ex partibus (scilicet ex materia et forma) quæ unitæ integrant adæquatam significationem hujus signi sacramentalis. Et quod non salvetur integra significatio in altera parte patet, nam deficiente absolutione, etiamsi actus poenitentis sint a parte rei, non subsistit sacramentum, ut per se notum est: cum forma sit ratio qua totum constituitur, et qua poenitentia significat et causat gratiam distinctam ab aliis sacramentis, scilicet remissivam, et non aliam: et universaliter in quolibet composito naturali et artificiali forma est præcipua pars; intrinseca quidem quia informat compartem, et cum ea componit: ergo forma seu absolutio est pars intrinseca hujus sacramenti.

VI. Et quod in forma sola non salvetur integra significatio hujus sacramenti, sed quod actus poenitentis sint partes intrinsecæ componentes sacramentum, constat ex Tridentino citato, et probatur eadem ratione, nam posita absolutione sacerdotis, si desint actus poenitentis, nihil sacramenti subsistit; sicuti in

universum nullum compositum subsistere potest deficiente parte materiali, quæ actuatur a forma, et cum qua unitur. Quapropter dissoluta unione, dissolvitur et compositum. Unde sententiam Scoti graviter reprehendunt doctores. Cajetanus infra quæstione XC, articulo primo censet erroneam esse; alii temerariam; alii plusquam temerariam. Et ex his falsitas aliarum sententiarum comprobatur ex eo quod integra essentia hujus sacramenti est essentia totius et compositi, et consequenter constantis ex materia et forma tamquam ex partibus intrinsecis.

VII. Objicies contra: Nam existentibus actibus poenitentis et absolutione sacerdotis, si non sint re ipsa peccata, sacramentum non subsistit, ut diximus in calce articuli præcedentis: confessio enim de occisione agni et aliorum quæ revera non sunt peccata, nulla est: ergo et ipsa peccata componunt intrinsece hoc sacramentum, vel ratio allata non probat; tum etiam, nam deficiente intentione poenitentis vel sacerdotis non subsistit sacramentum: ergo etiam intentio est pars intrinseca componens poenitentiam; tum etiam, nam actus suscipientis alia sacramenta non componunt intrinsece illa, ut patet in eucharistia; sumptio enim passiva non est pars intrinseca illius sacramenti, ut diximus supra quæst. LXXIII, disp. I, art. II. Patet etiam in sacramento ordinis; nam acceptio libri, quem ordinando tradit episcopus, non componit intrinsece sacramentum ordinis: ergo nec actus poenitentis sunt pars essentialis poenitentiae, et materia illius.

VIII. Respondetur negando consequentiam, peccata enim sunt materia remota, et destruenda per poenitentiam: unde essentialiter exigitur ut non componant sacramentum, quod non fit, nisi ut illa des-

truat, verum tamen est connotari peccata ab essentiali ratione sacramenti: connotatum autem extra illius essentialiam est. Intentio etiam recipiendi sacramentum, et concedendi absolutionem, in recto ingreditur in constitutione illius: non tamen per modum partis distinctæ a confessione et absolutione, quæ sunt actus voluntarii, ideoque imbibunt intentionem perficiendi, quod est de essentia sacramenti, sicuti contingit in quocumque actu humano. Ad id quod objicitur de sacramento eucharistiæ, concedimus totum: actus enim recipientis supponit sacramentum jam complete constitutum, cum consistat in consecratione materiæ, quæ præcedit ante usum; unde non possunt componere præexistens sacramentum: in sacramento autem ordinis, actus ordinandi etiam ingrediuntur ad componendum sacramentum, cum necessario requirantur ut sacramentum fiat: neque enim activa sola traditio libri, sed et passiva exigitur, ut sacramentum fiat, et idem contingit in aliis sacramentis, et in sacramento poenitentiae.

PRO QUO SUPPONAT SACRAMENTUM
POENITENTIÆ.

IX. Ex his facilis erit resolutio ad consecutam difficultatem, pro quo scilicet supponat in recto hoc sacramentum. In qua re auctores relati asserunt supponere pro partibus quas putant constituere hoc sacramentum, ut vidimus. A quibus discredimus, asserentes hoc sacramentum supponere in recto pro actibus poenitentis, et absolutione sacerdotis: ex quibus consurgit sacramentum tantum. Qui autem actus poenitentis sint materia essentialis, et qui integralis, constabit ex dicendis ad tertiam difficultatem.

X. Ratio hujus corollarii est, nam ex his partibus fit sensibile signum gratiæ sanantis, et remissivæ peccatorum: ergo hoc sacramentum supponit in recto pro actibus poenitentis, et absolutione sacerdotis. Ex quibus tandem deducitur duplex definitio hujus sacramenti. Physica definitio sic est: Sacramentum poenitentiae est confessio dolorosa oris exterior facta sub præscripta verborum forma, etc. In qua definitione materia habet rationem generis, et ponitur in recto, et forma (absolutio scilicet, quæ est veluti differentia) ponitur in obliquo: non quia non ingrediatur directe ad componendum, sed quia non prædicatur in recto: et hoc intendit Soto citatus. Definitio metaphysica hujus sacramenti est: Poenitentia est sacramentum novæ legis a Christo Domino institutum, ad significandam et conferendam gratiam sanantem; et ad remittenda peccata post baptismum commissa. In qua definitione constituitur proprium genus, scilicet sacramentum novæ legis, quod est ratio convenientiæ cum omnibus sacramentis, et apponitur propria differentia in linea signi. Circa peccata vero in definitione contenta, jam procedit secunda difficultas.

MATERIA REMOTA HUIUS SACRAMENTI.

XI. Circa secundum, quænam scilicet sit materia remota hujus sacramenti supponendum est, quod materia sacramentorum est duplex, alia remota, alia proxima: et in poenitentia peccata sunt materia remota, proxima vero actus poenitentis; et idem est in aliis sacramentis, ut materia remota baptismi est aqua, et eucharistiæ est substantia panis; proxima est ablutio et species panis. De materia remota poenitentiae

dicendum est, esse peccata actualia post baptismum commissa. Ita D. Thomas hic articulo II; Soto in IV, dist. XIV, quæst. I, art. II; Petrus de Soto de poenitentia, lectione II et III. Non autem dicuntur materia remota sacramenti ex qua, vel in qua, ut aqua in baptismo, lignum in cathedra; sed materia circa quam, et contra quam operatur sacramentum quam scilicet destruit, delendo peccata, ut et panis substantia in eucharistia. Estque materia propria, quia peccata sunt circa quæ versantur actus poenitentis, qui sunt materia proxima, nam contritio et confessio sunt peccatorum; satisfactio est vindicta ipsorum; absolutio etiam cadit super confessionem peccatorum.

XII. Et probatur ex definitione nuper tradita, et ex institutione facta Joannis XX: *Quorum remisistis peccata*, quod testimonium applicat Tridentinum sess. XIV, cap. V et can. VII, ad potestatem sacerdotibus collatam ad remittenda omnia lethalia; et definit sic: «Christus e terris ascensus ad cælos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam præsides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint.» Hæc ibi, et capite primo docet: «Dedit illis potestatem ad reconciliandum fideles post baptismum lapsos.»

XIII. Ex qua doctrina primo habetur, omnia peccata præcedentia baptismum non esse materiam poenitentiae: et sic nec originale, nec actualia ante baptismum commissa, sunt materia remota hujus sacramenti, quia in remedium eorum institutum est sacramentum baptismi, ut ex S. Thoma ostendimus articulo primo; unde hoc sacramentum, utpote institutum per modum iudicii, nequit exercere potestatem clavium, et actus judiciales nisi circa personas sui juris, cadentes scilicet sub

ecclesiastica jurisdictione, et sic famen circa fideles: infidelis enim non est juris ecclesiastici, dum non ingreditur per fidem in Ecclesiam, et per baptismum, et consequenter peccata omnia quæ præcesserunt receptionem baptismi, non subduntur foro ecclesiastico, et poenitentiali.

XIV. Quæ autem peccata sint materia remota hujus sacramenti, determinatur a Concilio citato, omnia scilicet mortalia esse materiam remotam; unde certa fide id est tenendum: «Omnia scilicet et singula peccata mortalia esse materiam necessariam poenitentiae.» Non quia non possit esse validum sacramentum sine confessione mortalium, cum sit validum in confessione venialium (ut statim dicam) sed quia peccatum mortale re ipsa commissum, et nunquam confessum, necessario exigit ad sui remissionem, ut ad confessionem deferatur. Unde sciendum est materiam poenitentiae, aliam esse necessariam (scilicet mortale nunquam confessum) aliam voluntariam sed sufficientem (scilicet peccata venialia) ut definit Tridentinum citatum: quæ ideo dicuntur materia non necessaria, quia pluribus aliis modis et mediis remitti possunt, etiam absque ordine ad sacramentum, et absque ejus voto: et quia valide fit sacramentum sine eorum confessione, etiamsi adsit advertentia commissionis et voluntarius affectus ad venialia, nihilominus sunt materia sufficiens sacramenti, ut communiter tradunt doctores. Idem iudicium ferendum est de mortalibus semel confessis, ac de venialibus etiam confessis: omnia enim hæc sunt materia sufficiens sacramenti, licet non necessaria, ut docet Benedictus II, in extravaganti primo de privilegiis, ubi ait: «Salubrem esse ejusmodi confessionem, et confirmat usus universalis fidelium.»